



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

16. An etiam illis, qui scrupulis anguntur, & sæpius confiteri volunt?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

248 DE NECES. ET MOD. MINIST.
terrupta per contrarium actum, imò nec
potuit interrumpi, cum (vt ponimus) con-
tinuo vsu rationis priuati fuerint.

QVÆSTIO XVI.

*An etiam illis, qui scrupulis anguntur, & sapius
confiteri volant?*

Quæstionis explicatio,

PEste grafsâte videre est plerosq; omnes
iusto timidiore, in scrupulos incide-
re, cui morbo prudentes pastores & con-
fessarii frequenti verbi Dei prædicatione
& exhortatione occurrere debebunt, ne
ingruescat, & ægrum in baratrum despera-
tionis adducat. Quæritur idcirco hoc loco,
qualiter se geret pastor si peste infectus
scrupulis agitatus iam semel confessus, ne-
rum & sapius cõfiteri velit, excusabitur,
an vero audire tenebitur?

R: sponso.

Distingendum videtur: vel enim pas-
tor aduertit egrum habere conscien-
tiam scrupulosam, dicto tamen obediẽte,
vel aduertit habere rebellem, hoc est diffi-
culter credentem, & desperationi vicinam.
Si primũ audita prius (vt supponitur) ipsius
confes-

Confessione & monitione ipsi facta, vt scrupulositatem eiusmodi deponat, non tenebitur vltterius adire. Si secundum, tenebitur, non pro confessione audienda, sed pro exhortatione facienda ad fortitudinem animi contra scrupulos.

Primum manifestum est, quia æger non est in vera necessitate sacramenti, & sufficit illi pro illo statu, vt consilio sui postoris docti & prudentis acquiescat, & anxietatē quam scrupuli iniiciunt, magno animo deponat, nec confessionem repetat, quia scrupulosus sic agens, cōformat se recto & prudenti dictamini pastorum & Doctorum, quos Christus in Ecclesia fideles docere solet.

Alterum quoque clarum est, quia propter desperationem talis peste infectus est in extrema vel certe graui necessitate, & periculo probabili aternæ damnationis, nisi industria & sedulitate pastoris inducatur, vt bonis consiliis acquiescat.

Dices. Æger renuens credere suo pastori docto & prudenti, non est in vera necessitate, per ipsum enim stat, quominus ab hoc periculo liberetur, non ergo tenebitur illi pastor exhortatione sua adesse, præsertim cum tanto vitæ corporalis discrimine.

Q 5

R. Ne-

R. Negando quod assumitur: falsum enim est, necessitatem prouenientem ex uoluntatis defectu non obligare parochum ad subueniendum subdito in spiritualibus cum periculo uitæ, aliàs enim nunquam ad hoc obligaret charitas, nisi forte respectu paruulorum baptismo egentium: hoc autem falsum est: ut constat ex his quæ de correctione fraterna & scandalo tradunt communiter Theologi.

Q V Æ S T I O X V I I .

An etiam illis, qui paucis ante diebus, ueluti octo uel paucioribus, ante conceptam pestem, confessi fuerunt?

Quæstionis explicatio.

Sunt plures, qui frequentius solent confiteri, & venerabile sacramentum Eucharistiæ sumere, accidit ut aliquot diebus à sacramentis perceptis quispiam illorum incidat in morbum contagiosum, quaeritur, an parochus etiam huiusmodi teneatur adire, & confessionem iterum excipere an vero excusetur?

Responsio.

Recurrèdum est in hoc casu, sicut & in multis similibus ad ea, quæ dixim⁹ in
iij